Praefatio.

Lactantii Placidi in Statii carmina heroica qui feruntur commentarii cum inde ab editione Tiliobrogiana, Parisiis anno MDC in lucem prolata (magnam partem repetita in editione Cruceana ib. MDCXVIII), numquam post ad codicum fidem emendati ac recensiti sint [1]), spero me rem neque inutilem neque difficiliorem subiisse cum consilium cepi postquam mihi contigit ut recensionem Thebaidos et Achilleidos ad finem perducerem totum corpus scholiorum Lactantianorum seorsum viris doctis proponere. Res quidem est summi laboris periculique! quam ut iam absolverim et confecerim cum permultum absit, libuit occasione oblata specimen novae meae editionis dare eisque penes quos iudicium harum rerum est iudicandum committere. Itaque hoc opusculo commentarios Lactantii ad Thebaidos libr. III versus 1—323 spectantes formis describendos curavi apparatu critico satis amplo addito adscriptisque eis ceterorum mythographorum locis, quibus vel paene eadem vel certe simillima narrantur atque apud Lactantium. Quae iam antea in programmate Posnaniensi anni MDCCCLXXIII edidi 'nova scholia ad Thebaidem, descripta e codice Parisino', quorum magnam partem postea etiam in codice Bambergensi inveni, ea non dubitavi uncis quidem inclusa in contextum scholiorum recipere. Pauca quoque adieci e codicibus Monacensi Leidensi Valentinianensi, de quibus infra dicam, ita ut verba eorum uncinis a ceteris distinguerem.

Duo quidem codicum, quotquot adhuc innotuerunt, genera extare mihi videntur, quorum alterum contextum tantum scholiorum continet hic illic inter se discrepantem ac dissentientem, alterum praeter ipsa Statii carmina vel in margine adscripta vel inter lineas adpicta verba scholiastae praebet, nec plane integra et aucta variis additamentis, quae fere ex Servio aliisque serioris aetatis scriptoribus hausta sunt, quamvis non desint expositiones quoque dignae quae verbis Lactantii inserantur. Quod ut melius perspici posset, plura quam minora dare malui plurimas eiusmodi accessiones adscribens. Codices prioris generis mihi praesto fuerunt ad librum tertium commentariorum recensendum Monacensis 19482 Parisini 8063 8064, quos ipse contuli; nec non excerptis usus sum codicis Valentinianensis, quae et benignitati Useneri et humanitati Holderi debeo. Alterius generis exempla adhibui ipse codicem Paris. 10317 Bambergensem N IV 11 Paris. 8055 (Colbertinum) Leidensem (Gronov. 70); accesserunt liberalitate R. Ungeri variae lectiones cod. Frisingensis. De quibus omnibus nunc paulo accuratius dicendum est.

I. **Cod. Monacensis 19482** (olim Tegerns. 1482) **A**, membranaceus saec. XI^{i} vel XII^{i} ineuntis formae quartanariae quam dicunt, continet foll. 144 commentarios Lactantii in Thebaidem et Achilleidem non una eademque manu scriptos ita, ut ubique altera manus correctrix discerni possit. In fol. I^{a} summo margine adscriptum legitur a manu posteriore: 'Com̄ē tū in Thebaidon Stacii', et infra a manu priore: 'Celii firmiani placidi Lactancii expositio in thebaidem Stacii lege feliciter'.

Cod. Parisinus 8063 **P**, membranaceus forma maxima saec. XIV^{i}, continet foll. 93 commentarios Lactantii in Thebaidem splendide eos quidem scriptos, sed mendis erratisque deformatos. Inscriptio est: 'Incipit com`e`tu` Lacte`cy super stat^{i}o Thebaidos'. Sequitur quaestio de vita poetae (cf. ed. Tiliobr. p. 470), tum verba leguntur: 'Incipit liber

[1]) Nisi quod Robertus Ungerus, vir doctissimus et de studiis Statianis meritissimus, in libello Friedlandiae anno MDCCCLXIV emisso, qui inscribitur: 'Electa e Lactantii in Statii Thebaidem commentariis', librum primum ad trium codicum Monacensium fidem recognitum palam fecit. Ipse in programmate Emdensi anni MDCCCLXXVII maiorem partem scholiorum ad Achilleidem pertinentium ad fidem codicis Monacensis aliorumque promulgavi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pmus'. Ex hoc codice F. Duebnerus satis multas emendationes inseruit adnotationibus editioni a se curatae (Parisiis MDCCCXXXV) adiectis.

Cod. Parisinus 8064 **p**, membranaceus forma maxima saec. XV° exaratus, continet foll. 136 commentarios in Thebaidem. Ante folium primum leguntur haec: 'Lactantius super Statii Thebaida' et 'Lactantius in Statium'. Librarius huius codicis inscius verba graeca semper omisit vacuum tamen spatium relinquens.

Cod. Valentinianensis 514 olim numero 377 insignitus (fortasse oriundus a monasterio Amandino vel Elnonensi) **v**, membranaceus miscellaneus, continet foll. 91ª usque ad 124ᵇ manu saeculi IXⁱ vel Xⁱ (teste Alfredo Schoenio) exarata scholia Lactantii ad Thebaidem non plane integra (II 281 — XII 676). Excerpta huius codicis ab Alfredo Schoenio facta cum mihi iam pridem Usenerus, quae est viri clarissimi mansuetudo, dedisset, ex quibus cognosci posset codicem plurimi aestimandum esse, nunc A. Holderus humanissime iis quae e codice vetustissimo descripserat mihi transmissis facultatem praebuit pretii codicis etiam accuratius perspiciendi. Leguntur in codice verba ex Sedulio laudata ad Theb. VIII 287 (quae desunt in **A**); citatur ad locum quendam libri secundi: 'ut Servius dicit', sicuti iam in **P** legeram ad Theb. I 275: 'Notissima fabula Oenomai in Servio'.[1])

II. De **codice Parisino 10317 P**ᶜ, membranaceo saeculo X° scripto, cum iam saepius dixerim [2]), hoc loco satis habeo enuntiare eum non solum ad ipsa carmina Statii recensenda certissimum ducem se praebuisse, sed etiam ad scholia emendanda atque augenda permultum attulisse. Sunt haec quidem partim eadem manu scripta, quae verba poetae exaravit, partim manu librarii posterioris aetatis. Ad Achilleidem nulla extant scholia.

Cod. Bambergensis N IV 11 **b** membranaceus saec. XI° exaratus, continet foll. 93 solam Thebaidem cum scholiis permultis margini adscriptis, quorum quidem pleraque atramento paene evanescente difficillima ad legendum, nonnulla vero plane deleta sunt. Inveni in hoc codice, sicut iam supra adnotavi, maximam partem eorum scholiorum, quae leguntur in **P**ᶜ, desunt in editionibus.

Cod. Parisinus 8055 (Colbertinus) **C** membranaceus miscellaneus, continet foll. 1—140 Thebaidem cum scholiis saec. XIII° exaratam. [3])

Cod. Leidensis (Gronov. 70) **g** membranaceus forma quartanaria saec. XIⁱ, continet foll. 214 Thebaidem non una eademque manu scriptam cum scholiis permultis adscriptis. Du Rien, vir doctissimus et clarissimus, qua est liberalitate et humanitate, denuo codicem quem iam ante adhibui [4]) utendum mihi commisit.

Cod. Monacensis 6396 (olim Frisingensis) **B** [5]) membranaceus saec. X° exaratus, continet Thebaidem cum scholiis. Accesserunt mihi benignitate Roberti Ungeri variae lectiones huius codicis, quem ipse nondum inspexi. Breviter de eo egit E. Woelfflinus in Philol. XXIV p. 156.

Adscripsi denique lectiones eius codicis Pithoeani, quem ex bibliotheca iurisconsulti doctissimi se collatum habuisse ad editionem suam perficiendam testatur Fridericus Tiliobroga (Lindenbrog), in quibusdam adiutum exemplari manu scripto regio, quod integritate cederet Pithoeano. De neutro quantum scio certi quicquam notum est. Signum **L** significat codicem, **l** editionem Tiliobrogae. Praeterea adhibui editionem Venetam vetustiorem, in cuius folio extremo legitur inscriptio: 'Hoc per Petrum de quarengiis Bergomensem Venetiis impressum opus foeliciter explicit. MDVIII Die. IX. Augusti'. Discrepantes huius editionis lectiones littera **V** insignivi.

---

[1]) Cf. Philol. XXXIII p. 130 not. 7. Non recte igitur G. Thilo in praef. ad Serv. I p. XXXV dixit, unum e commentatoribus ad Servii auctoritatem nominatim provocare Lucani scholiasten ab Usenero editum.

[2]) Cf. Philol. l. l. progr. Posnan. p. 1 praef. ad Achill. p. IX.

[3]) Cf. quae de hoc codice dicta sunt in progr. Posnan. p. 3 praef. ad Theb. p. XIII.

[4]) Cf. praef. ad Theb. p. XI.

[5]) Usus sum eadem nota qua Ungerus in libello supra laudato; in Theb. editione codex littera f insignitus est.

Philippus Kohlmann.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf